Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



tristicia elongabitur a te. Si iniusticia perseueres, tristicia non occurret tibi. Hec plaga nec mors deterrebit, si bene et pie uixeris. Consilium autem et opus tuum semper ad dominum conuerte, in omni opere tuo. Dei auxilium posce, omnia diuine gratie diuino dono adscribe. Nichil meritis tuis adtribuas, in uirtute tua nichil presumas, in audacia tua nichil ponas. His autem uirtutes tuas augere, prodere noli. Occulta uirtutes tuas, pro elatione. Absconde bona facta, pro arrogantia. Fuge uideri quod esse meruisti. Quod manifestando potes amittere, tacendo custodi. Nicia uero cordis tui reuela. Prauas cogitationes ilico manifesta. Peccatum enim proditum cito curatur, crimen autem tacendo ampliatur. Silencio culpa crescit, si patet uicium fit, si latet. Fit ex minimo magnum. Si tegitur maius creditur esse malum. Malum autem cauere potius, quam emendare oportet. Melius est ut uites uicium quam ut emendes, ne forte cum incurreris reuocare non possis. De bono et malo usu.

Vsus enim difficile uincitur, cum suetudinis uincula uix soluuntur, inolita diu. Tardius corriguntur. Ancipitem diu delibera sententiam. Ante factum cogita diu, ante opus premeditare diu. Matura consilium, ut perficere possis quod uis. Quod uis agere, diu exquire, diu proba et sic age. Cum diu cogitaueris, tunc fac quod probaueris, nichil ex precipiti magnum. Consilii mora melior est. In rebus autem certis, bene agendi tarditas remoueatur a te. Tolle moras, in crastinum